



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici  
Doctiss. Sacrae || Theologiæ & Iuris Canonici Doctoris |||  
celeberrimi, ac Ecclesiæ Ham-||burgensis quondam  
Decani**

**Krantz, Albert**

**Coloniae, 1574**

Capvt XL.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11453**

nibus grauent, & maiori quam vlli principes imposito  
onere dominantur: id q̄ literis ad vicinas & longinquas  
vrbes perscripsēre: nouum concilium ex mechanicis vi-  
ris erexēre: clamoribus, non consilio, rem omnem ege-  
re. Cæteræ bene moratae vrbes, rem miserandam, & ipso  
exemplō pernicioſam, putauere non impunitam relin-  
quendam. Non sunt passæ, mercatores eius vrbis in em-  
porijs diuersari: (Hoc vocant Hansa ejcere & prescri-  
bere, cùm illis priuilegiorum vſu & communione inter-  
dicitur) Sed qui intus mansere, contempſere eam ani-  
maduersionem, quæ paucos attigit.

## CAPVT XL.

**O**ppidum Aldenborg, in terra palustri situm ad Phrisiam, per ea tempora de Depholt comes, adiunctis nonnullis, in quibus erat decanus Bremensis, cum simultatem grauem gereret aduersus Conradum de Aldenborg comitem, noctū ingressus, cepit. Ingressi via non longinqua ab arce, ad Veterem, ut vocant, ciuitatem perueniunt. Erant qui per uigilantes ad ludum tota nocte sederent talorum. Hi primi, hostilem experti tumultum, ad nolam procurrunt, signum capti oppidi dantes. Sono exciti ciues per noctem insolito, cum hostes adesse sentirent, tecta domorum petunt: Ianuis obseratis, & coctilibus inde lapidibus proiectis, cogunt hostes ad exeundum quod cepere oppidum. Quingeni erant qui venere. Ciues concepta fidutia, sequuntur egredientes, & aperto iam campo manum cōserunt: inde alacriores, quod oppido eieciſſent, iam acie pugnant. Vincuntur a ciuibus hostes, cæduntur militares non pauci. Capitur decanus Bremensis, & ad Conradum comitem, cum aliquantis concipiuis, pertrahitur. Ille docuit, non hoc esse oppida capere, quod chorūm adire.

Quo



Quo tempore oppidum quoquè Honouer grauiter infestatur à viciniis militaribus. Hominem infelicem conduxere quidam prelio, qui ignem quatuor locis collocatum, vna curaret inflammari: vt occupati ciues restinguendo incendio, minus attenderent murorum custodiā: Illi interim iuxta conuentum Minorum introiērent, rebus ante comparatis. Deprehensus infelix ille in conatu, ad supplicium pertrahitur, nihil aliud fassus, quam à fratre religioso se prelio conductum: Ita res permanit infecta. Exemplum autem Brunswicensem sequuti ciues Northusenses: Nam initiò in carcerem coniecere vrbis sua concilium, & media deinde nocte ferè omnes cæduntur gladio. Proh vulgus, pelagus, indeclinabile virus. Omnia bestia crudelior & immanior sicut ira popularis.

Ty

SAXO-

